

VII. — Confidit Synodus numquam fore ut aliquis sanctuarii minister, ne spectandi quidem causa, se commisceat flagitiosis aut indecoris, quae celebrari solent choreis, tripudiis, saltationibus quibuscumque, nec coetibus illis ubi minus honesta agantur vel canantur. Si quis quod immane esset scandalum, hisce aut aliis vetitis assistere praesumat, eum Episcopus ad sacrorum canonum normam iusto rigore coercebit.

VIII. — Quoniam nugae in ore laici nugae sunt, in ore sacerdotis blasphemiae (S. Bernard. *De consid.* lib. II), indignum foret clericum, qui os suum Evangelio consecravit, proferre verba turpia, scurrilia aut quovis modo malesonantia. Quamobrem unusquisque sermonibus suis diligenter invigilet.

IX. — Ne apud se libros neve pagellas, vel alia eiusdem generis habeant aut legant, quorum lectione bene agendi studium, morum disciplina, et timor Dei caritasque languescere possint: multo minus illa quorum auctores regno Christi bellum indixerunt (Conc. Strigoniense a. 1858 tit. VI); nam inde venenum paulatim haurire ipsos etiam bonos, licet non indoctos, quotidiana experientia compertum est. Quod si necessitatis aut caritatis causa aliquando adversariorum libris uti debent, praehabita legitima facultate, ita se gerant ut nec sibi periculum afferant, nec fidelibus scandali occasionem.

X. — Ceterum qui pravis ephemeridibus nomen dat, aut eas publice legit aut emit, se duplici culpa obstringit, inobedientiae erga Ecclesiam et scandali. Insuper sua pecunia ad mali diffusionem concursus praestat (Conc. Vallisolet. a. 1889, pars 5, tit. I).

XI. — Omnia denique summatim commonent Patres Tridentini: « Sic decet omnino clericos in sortem

Domini vocatos vitam moresque suos componere ut gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum, et religione plenum, praeseferrant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. . . . Nemini dent ullam offensionem ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se ministros Dei, ne illud Prophetiae dictum impleatur in eis: « Sacerdotes Dei contaminant sancta et reprobant legem » (Sess. XXIV, Prooemium et c. I. *Ref.*).

XII. — Eiusdem Concilii Patres in delinquentes edixerunt « ut quae alias a Summis Pontificibus et a Sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, doctrinae retinenda ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon saecularibus negotiis fugiendis, copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdem poenis vel maioribus arbitrio Ordinarii imponendis, observent.

Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint ea quamprimum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri studeant » (ibidem). Nos itaque, ne subditorum neglectae emendationis condignas Deo vindice poenas persolvamus, volumus omnia et singula quae in praesenti Synodo de vita clericorum hactenus decreta sunt, sanctione munire firmissima, adeo ut transgressores, prout Episcopo in Domino visum fuerit, severe plectantur.

TITULUS II.

DE CLERICALI HABITU ET TONSURA.

Quia forma vestium solet esse morum indicium (S. Bernard. *De consideratione* lib. III, c. 5), et decentia

habitus exterioris internam honestatem significat, ad ecclesiasticos viros attinet in vestimentis quoque modestiam et gravitatem exhibere, quibus gradus sui amplitudinem sustineant et tueantur. Certe Tridentina Synodus eorum temeritatem acriter corripit « qui propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes, vestes deferunt laicales, pedes ponentes in diversis, unum in divinis, alterum in carnalibus. » (Sess. XIV, c. I, *Reform.*) ac duris poenis denunciatis, iubet omnes beneficiatos aut in sacris constitutos honestum habitum clericalem illorum ordini ac dignitati congruentem iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum deferre.

I. — Quae salutaris praescriptio ut effectum suum, quantum in nobis est, plenissimum sortiatur, districtim praecipimus clericis ut veste talari nigri coloris utantur quotiescumque versantur in templo; item quando in locis privatis sacramenta, sacramentalia aut alios actus rituales perficiunt.

II. — Omnes serio admonemus ut eandem, etiam extra functiones sacras, quotidiano et constanti usu adhibeant. Est enim illa vestis, ex more Ecclesiae et Praesulum monitis clericorum propria, et regali sacerdotio apprime conveniens. Huc accedit quod ea plurimum confert tum ut Dei minister perpetuo recordetur altissimae suae vocationis, tum ut ipsum fideles debita observantia prosequantur.

III. — Ubi vero per leges civiles non licet ut ea induti in publicum prodeant, alius habitus geratur, modestus tamen, nigri coloris, non contractior, sed ad genua demissus, conditioni clericali accommodatus, quo fidelium aedificationi provideatur. Adhibeant etiam pallium (vulgo *capa*), saltem in civitatibus et maioribus oppidis.

IV. — Si iter faciendum sit aut in regione calidior degendum, vel alia urgeat causa ab Episcopo approbata, permittuntur aliae vestes clari, sed uniformis coloris.

Nihilominus eiusmodi sint ut universo habitu nihil appareat indecorum, aut statui suo minime congruum dignoscatur.

Retineatur quoque ecclesiasticus color in quantum fieri potest.

V. — Externus corporis apparatus, nihil redoleat mundani luxus aut elegantiae studiosius quaesitae. Sed aequae vituperabile esset indumentum sordidum, lacerum et squalidum quo intuentium oculi offendantur.

Decenti potius simplicitate ac nitidae munditiae studendum est « ne in nimio cultu vanitas, et in abiecta rusticitas accusetur » (Conc. Narbonense, Sess. XXI, cap. 2).

VI. — Clerici omnes tonsura insigniti sint ad formam quam ratio uniuscuiusque ordinis postulat. In ordinanda coma mollitiem et vanum ornatum fugiant. Barba non nutriatur.

VII. — Qui leges de clericali habitu et tonsura statutas violaverint, pro ratione sui gradus et culpae gravitate poenas luent ab ipso iure impositas.

TITULUS III.

DE VITAE SANCTIMONIA A CLERICIS SECTANDA.

Quae de sanctimonia vitae iam supra innuimus magis magisque inculcare iuvat ut clerici omnes huius almae Provinciae, quos tamquam fratres carissimos ac ministerii nostri fideles adiutores in visceribus Christi

amamus et amplectimur, ad virtutes colendas inflammantur et pro viribus ad perfectionis culmen assurgant. Ad hoc autem nullus est efficacior stimulus quam ut sublimem dignitatem ac munera sua gravissima corde expendant, animoque sollicitate revolvant. Quo circa:

I. — Serio considerent uti eximia est ipsorum vocatio, ita sanctitatem requiri minime vulgarem. Etenim electi fuerunt ut indelebili sacerdotii caractere insigniti, tum apud Deum tum apud fideles Christi Domini personam agant: qua quidem ineffabili praerogativa ipsis angelis antecellunt. Hinc facile colligitur quanto virtutis splendore praefulgere debeant, et ipsi Deo simillimi fieri (D. Thomas, suppl. q. 26). Tam excellens est sacerdotum electio ut quae in aliis Ecclesiae membris non vocantur ad culpam, iis tamen habeantur illicita, quin etiam ut crimen imputentur (S. Greg. I Epist. 5. — S. Leo M. Epist. 24 ad Anastasium).

II. — Amplitudo quoque ministerii nobis crediti postulat singularem animi integritatem cuius splendor nulla sorde inquinetur.

« Loquere ad sacerdotes sint sancti quia et Ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos Omnis qui habuerit maculam, non accedet offerre hostias Domino nec panes Deo suo » (Levit. XXI, 1, v. 21). Quod de carnis munditie ad levitas pertinebat, idem nobis de munditie cordis specialiter dictum reputemus, qui multo proprius ad Deum maiestatis accedimus, qui augustissima sacramenta et Ecclesiae thesauros dispensamus, ac sacrificium offerimus, ad quod digne celebrandum neque satis est ipsa puritas Angelorum.

III. — Tanto magis probitatisemin entia ceteros praecedamus oportet quanto copiosius in nos effudit Deus divitias suae bonitatis « Omni autem cui mul-

tum datum est, multum quaeretur ab eo » (Luc. XII, 48); meminerit clericus quantum curae, quantum temporis et laboris impenderit optima mater Ecclesia ut ipsum inde a puero in omni pietate institueret eum aliquando ad summi honoris apicem evectura. Meminerit quam inaestimabilia gratiae dona per impositionem manuum et sacram unctionem acceperit. Nisi itaque iustitia eius abundaverit plusquam aliorum, salvus non erit: quia quisque pro mensura gratiae iudicabitur, et potentes potenter tormenta patientur (Sap. VI, 7).

IV. — Nec propria tantum salus agitur, verum etiam sors aeterna fidelium « Vos estis presbyteri in populo et ex vobis pendet anima illorum » (Iudith. VIII, 21), quod ratione temporum in quae incidimus maius adhuc pondus habere censendum est. Dum enim hodie perversa quidquid sentiendi et agendi libido sub praetextu progredientis culturae omni veritati et auctoritati bellum indicit, multiplicibus illis quibus aetas haec adeo vexatur malis, nemo nisi sacerdotium medebitur.

V. — Quantumvis aspera et angusta videatur perfectae iustitiae semita, nemo tamen difficultate terreatur; sed illi fidat qui dixit (Deut. XXX, 11): « Mandatum hoc quod ego praecipio tibi, non supra te est neque procul positum. » Ad quod exequendum plura nobis suppetunt adiumenta et praestantissima sanctificationis auxilia.

VI. — Prae ceteris iuvabit fidem vivissimam in animo fovere atque enutrire ita ut coram Domino ambulemus et simus perfecti, Eum iugiter praesentem intuendo, qui medius nostrum adstat invigilans, scrutans corda et renes Deus.

VII. — Quum apex sanctitatis, plenitudo legis et

perfectionis vinculum sit caritas, totis enitatur viribus ut in omnibus et super omnia diligamus Deum, eique universo vitae tenore placeamus. Experientia docet neminem esse magis expeditum, indefessum et alacrem ad quaelibet pro causa Dei aggredienda et sustinenda, quam qui Sacratissimo Cordi Iesu coniunctus est tenero fortique amore.

VIII. — Quia ille apud Deum in amore maior est qui ad eius amorem plurimos trahit, spirituali aliorum utilitati studiose consulamus. « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte et operiet multitudinem peccatorum. » (Iac. v, 20). Sed contra, si quis nostra culpa aut segnitie perierit, anima eius de manu nostra requiretur: quia « tot occidimus quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus » (S. Greg. M. homil. xi in Ezech.). Libenter itaque impendantur clerici et superimpendantur pro animabus illis quas Christus Dominus profuso sanguine redemit. Zelo flagrantes « circumspicite uberem messem quam Deus colligendam vobis in pervasta hac regione paravit, et vires animosque vestros colligite ut quantum per vos est, ne ulla quidem spica extra manipulos maneat, igne deinde comburenda » (Conc. provinc. Oregonense decr. xiv).

IX. — Iam vero inter opera zeli, sacra catechesis praestantissima est: in qua certe salus plurimorum consistit. Quod si clerici rudimenta fidei tradere dedignantur, atque ipsorum incuria pueri ac rudes in aeternam ruinam traducuntur, recogitent vindicem Deum poenas terribiles ab ipsis exacturum, eo quod parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Neque obliviscantur sacerdotes se a fideli mexicano populo nuncupari Patres: sed quomodo patris nomine digni es-

sent, si esurientibus filiis, imo fame pereuntibus, cibum doctrinae impie denegarent?

X. — Ut suscepti labores prospere et ex voto succedant, discamus a Christo, quia mitis est et humilis corde. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (I Petr. v, 5). Generosa quoque abnegatione pululantia in nobis vitiorum germina extirpemus, semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali, scientes quod sicut socii passionum sumus, sic erimus et consolationis (II Cor. iv, 10).

XI. — Ardorem pietatis, quo alios accendere debet, sacerdos in corde suo alere sedulo curet. Ex Patrum sententia recte novit vivere, qui recte novit orare, et qui orationem abiicit, viam salutis deserit. « Cum videro quempiam non amantem orandi studium, (sic Divus Chrysostomus), neque huius rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est eum nihil egregiae dotis possidere. » Quare « exerce teipsum ad pietatem, pietas ad omnia utilis est. » (I. Tim. iv, 7, 8). Orationes matutinae et vespertinae, preces ante et post sacramentorum administrationem dicendae, aliae item obsecrationes praesertim ad Spiritum Paraclitum incenso corde fundantur, maxime cum augentur labores, aut pericula ingravescunt; tunc enim maiori precum subsidio opus est, et auxilio Dei largiori.

XII. — Omnia diei munia, tum quae pietatem tum quae reliqua spectant, in certum ordinem distribuere iuvat, eisque fixum temporis spatium assignare, ne ulla tanti doni particula inaniter defluat. Sancti Bernardi consilium sequutus, quamlibet horam transigat clericus, quasi vitae ultima foret; quia « ecce iudex ante ianuam assistit » (Iac. v, 9). « Hoc itaque dico, fratres,

tempus breve est et proinde, dum tempus habemus operemur bonum » (Eccles. ix, 10. — Galat. vi, 10. — I Cor. ix, 10).

XIII. — Inter cetera vitae pie instituendae subsidia, meditatio excellentissimum est, quam si negligant viri sacri, neque in virtutibus progredientur, nec perdurabit animarum zelus, neque ipsi propriam salutem satis tutam habebunt. Unde et Synodus Coloniensis gravissimis verbis edicit (In Collec. Lacensi tom. v, col. 379): « Eos tantum et re et nomine clericos reputamus, qui legem Dei diu noctuque meditantur, ac vitam agunt sacerdotio dignam. »

Praeterea, per rerum divinarum contemplationem sermonibus et catechesibus unctio conciliatur et claritas: quidquid vero sine praemissa meditatione dicitur, est tantum sonus, qui non de corde profectus, non penetrat corda sed aërem verberat.

Denique sacerdos qui fidei veritates serio et assidue perpendit, pacem experitur quae exsuperat omnem sensum; in pastoralibus officiis saporem suavissimum percipit, Missae sacrificium cum incredibili animo solatio celebrat, et poenitentibus monita suggeret unctio plena (Confr. Concil. Prov. Colocense a. 1863 tit. iv, 8).

XIV. — Idcirco utilem meditandi praxim, a Sancta Sede laudibus cumulatam et ditatam indulgentiis, haec Synodus omnibus valde commendat, et exoptat ut quotidie tempore praestituto et quidem ante Missam, aliqua de rebus coelestibus corde recogitent, quo vel sic diei primitiae Domino consecrentur.

XV. — Materia autem orationis mentalis praecipue desumenda ex vita, doctrina et passione Iesu Salvatoris nostri, quandoquidem idea perfectionis haec est ut clericus Summum Sacerdotem imitetur eumque sua

agendi ratione ad vivum exprimat. Eo etiam uberiores erunt sacri ministerii fructus quo magis in ipso formabitur Christus, omnium virtutum exemplar quemadmodum ipse docuit: « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso . . . sic nec vos nisi in me manseritis »; sed « qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulare » (Gal. iv, 19. — Ioann. xv, 5. — Ioann. ii, 6).

XVI. — Nullus clericus omittat singulis diebus, si tempus suppetat, Christum in mirabili Eucharistiae Sacramento praesentem visitare, eique uti filius amantissimus piissimo patri fideliter assistere; immo tamquam amicus amico familiariter conversari; cum ipse iam non dicat nos servos, sed amicos (Ioann. xv, 15). Erubescendum sane foret si in hoc obsequii genere nos a devotis laicis superari patiamur, et dum illi frequenter ad Iesum alloquendum accedunt, nos rarius, et dumtaxat necessitate compulsi, templum adeamus. Vere dixit S. Hieronymus « Vehementer Ecclesiam Dei destruit meliores esse laicos quam sacerdotes. »

XVII. — Una vox sanctorum est, devotionem Deiparae Virginis plurimum conferre ut ministri Ecclesiae meliora aemulantes charismata, crescant in illo per omnia qui est caput, Christus (Ephes. iv, 15). Hanc igitur coeli terraeque Dominam, et Reginam cleri, filiali affectu prosequantur. Expedit sanctum rosarium aliasque preces serotinas quotidie, statuta hora, persolvere, et quidem in communi, nimirum cum tota familia. Omnes impensius provocamus, ut eandem misericordiae Matrem, dulcissimam spem nostram et gentis nostrae advocatam, sub titulo de Guadalupe summo studio venerentur, eiusque cultum amanter provehere satagant, et usquequaque propagare.

Pariter castissimum Mariae Sponsum S. Iosephum

et alios Sanctos tutelares invocando atque imitando colant, quo pastoralis muneris functionibus Deus rorem suae benedictionis copiosius infundat.

XVIII. — Diem sine pia lectione transactum, diem amissum clericus reputet. Docet S. Augustinus tale esse ingenium naturae nostrae ut torpescat, si usus destiterit lectionis; quia sicut ferrum nisi usu adhibitum fuerit, rubiginem contrahit, ita et anima nisi frequenter divinis exerceatur lectionibus. Scripturae Sacrae, vitae Sanctorum, alii selecti libri, uti Memoriale vitae sacerdotalis, sed prae ceteris aureus libellus de Imitatione Christi, non quidem raptim percurrendi sunt, sed mature et iterato evolvendi.

XIX. — Ad solidissimas pietatis clericalis praxes pertinet quotidiana conscientiae discussio, qua nosmetipsos ad rationem reddendam revocamus. Hinc ad morum emendationem, ad accendendum cordis fervorem et merita cumulanda, ingens dimanat emolumentum. Praeterea solent viri salutis suae studiosi, examen particulare cordi habere in quo singularem aliquam virtutem acquirendam aut defectum eradicandum sibi proponunt. In utrumque industria impendenda est, ne tepore et acedia languescens animus ab ore Christi evomatur.

XX. — Quia pro fragili humanae naturae conditione saepius in culpas labimur, crebro et confidenter utendum est poenitentiae lavacro, ut quemadmodum nobis in ordinatione dictum est, « nitidi, mundi, casti, purum ac immaculatum ministerii nostri donum custodiamus. » Idcirco praecipimus, ut quatenus fieri potest, sacerdotes omnes in civitatibus quavis hebdomada, in locis autem ruralibus saltem bis vel ad summum semel in mense, pie confiteantur.

XXI. — His aliisque adiumentis instructus, et piis-

simi Iesu auxilio fretus nitatur minister Ecclesiae quotidiano ascensu virtutum proficere, quia in via Dei non progredi, regredi est (S. Bern. Serm. ad Fratr.). Quare « qui sanctus est sanctificetur adhuc. » (Apoc. xxii, 11), et tantas sibi comparet sanctitatis divitias, ut eas in alios de plenitudine sua diffundere possit.

XXII. — Et nunc praedicta paucis complectentes, cunctos de clero iterum iterumque in Domino cohortamur, et per sacratissima Christi vulnera urgemus, ut ad solidas virtutes acquirendas strenue incumbant: quia « clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem » et « sicut sacerdote nihil est excellentius, sic nihil miserabilius, si de sancta vita periclitetur. » (Confr. S. Hieronymus, S. Ambr. De dign. Sac. c. 3).

Nos minime latet ea quae paterno affectu monenda et suadenda censemus numero plura et ardua videri, sed confidimus fore ut huius Provinciae clerus, nostra spes et gaudium et corona (I Thess. II, 19), ea genere et constanter amplectatur, probe gnarus sanctioniam suas habere delicias et praemia. Nimirum, quos Dominus in vineam suam operarios conduxit, euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos; prius quidem portantes manipulos fletus et doloris, cito recepturi mercedem laboris.

TITULUS IV.

DE SACROSANCTI MISSAE SACRIFICII CÉLEBRATIONE ET DIVINI OFFICII RECITATIONE.

Quotidiana experientia constat, et omnibus persuasum est, vix ulla re sacerdotem sibi ac reliquis tam efficaciter prospicere, quam fervida Missae celebratione

et recitatione divini officii. In his procul dubio concipitur ignis ille coelestis, quo correptus vir Dei, alios inflammabit. Certe qui omnem curam in has functiones omnium praestantissimas impendunt, alias muneris sui partes solent adamussim complere: quos vero in illis torpentes videmus in ceteris quoque desides sunt et maxime incurii.

§ I.

De Missae sacrificio.

I. — Praeter ea quae de augustissimo sacrificio rite celebrando alibi decrevimus et praeter specialem in hac re obligationem, universos obsecramur ne, ab ordinis sui amplitudine degeneres, uti negligant immenso illo beneficio quo carent angeli, quo gaudent sacerdotes. Ipsorum enim est conficere frumentum electorum et vinum germinans virgines (Zach. IX, 17), ipsorum est vivificam litare hostiam, qua Deo Patri reconciliati sumus; ipsi vicem agunt sacerdotis aeterni, pontificis impolluti segregati a peccatoribus, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, qui mortuus est semel, et nunc incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur (S. Greg. M. dialog. lib. IV, c. 58. — Hebr. VII, 26. — Ephes. V, 2 — Rom. VI, 10).

II. — Ecclesiae ministri, qui suae et aliorum utilitati vere student, haec adoranda mysteria quam creberrime imo quotidie, nisi impediti fuerint peragere curant; non quidem ex consuetudine aut lucri causa, sed quo inexhausta passionis dominicae merita et in ipsos iugiter effluent, et copiose infidelem populum dimanent. Profecto quoties sacrum facit presbyter eo

quo par est reverentiae sensu, « Deum honorat, angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adjuvat, defunctis requiem praestat, et sese omnium bonorum participem efficit (De imitatione Christi, IV, c. 5).

III. — Sed quot et quantos gratiarum thesauros sacrum bene confectum conciliare potest ac debet, tot tantaque damna et mala oriuntur, si munda oblatio immundo corde offeratur. Idcirco iubet Conc. Trid. (Sess. XII, decret. *de celebratione Missae*) « ut sacrosanctum Sacrificium omni religionis cultu et veneratione celebrent: maledictus enim est qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatendum est nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum tractari posse quam hoc ipsum tremendum mysterium, evidens est omnem opem ac diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis et pietatis specie peragatur ».

IV. — Quoad interiorum animi integritatem probet se ipsum homo et nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad aram accedere praesumat. Quod si desit copia confessarii et urgeat necessitas celebrandi, sacerdos eliciat actum contritionis, et dein quam primum confiteatur (Trid. Sess. XIII, c. 7). « Mundi enim sunt oculi Domini et ad iniquitatem respicere non possunt » (Habacuc I, 13).

V. — Exemplum aliarum Synodorum imitati illos serio monemus ut nunquam nisi candida innocentiae stola ornati et veste nuptiali induti, se ad mensam Domini sistant. Qui secus facit reus erit Corporis et sanguinis Christi; iudicium sibi manducat et bibit; sacramentum vitae et salutis facit causam mortis et